Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2497
Quelle:
Copyright:

ratum usque ad annum MCCCCLXXV. et *Leonardum de Mansuetis* Magistrum gen. XXXII. protenditur, cumque ibi, ubi illius Exemplaria cessant, statim *Humberti* laudes his verbis incipiant: *Hic vir dei cunctis aspicientibus fuit generosus et Romane Curie adeo acceptus et carus vt eum plures Cardinales in summum Pontificem elegerint* &c. quid vetat dicere, *Gerardum de Fracheto* Chronicon saltem versus annum suum emortualem 1271. perduxisse, continuasse vero deinceps alios? Sed ut *Quetifo*, quod ait p. 147. contendendi non fuit animus, ita nec mihi est. Illud noto: Chronicon nostrum ab anno memorato MCCCCLXXV. diversis manibus, et quidem, ut videtur, in *Conventu Ulmensi* productum fuisse usque in annum MCCCCXCVI. nec adferri pene quidquam aliud, quam Capitula Ordinis celebrata, et Moderatorum electiones, inter quos frequens est M. *Johannes Sprenger* autor ille famosi *Maleficarum Mallei*. Indicatur etiam duplex iter in terram sanctam F. *Felicis Fabri* 1480. et 1483. qui nomen suum tribus *F. F. F.* prodere amabat, ut habes in *Schellh. Amoenit. lit.* T. III. p. 102. cujusque *Hodoeporica* supersunt. Ad an. 1491. notatur: *ipsa die Augustini episcopi intravit Vlmam Serenissimus rex romanorum Maximilianus et fuit rumor magnus de gwerris. Item ipsa die Natiuitatis beatiss. virginis marie Serenissimus dominus rex Audiuit officium misse in choro conuentus nostri Quod quidem cantauit in pontificalibus Reverendus in christo pater et dominus Mathias episcopus Seckofiensis. Dictus Pfaff Schitt* (Scheit, Schait ✠ 1505.) *Resonabant autem organa et cantores domini regis omniaque cum splendore permagnifico agebantur.* Ultimus chronographus ad an. 1496. sic finit: *Preerat tunc communitati Vlmensi Magistrique ciuium officio fungebatur prudens prouidus facundissimusque Dominus Johannes Echinger Adu conuentus vlmensis tutor qui adeo fideliter ac eleganter apud dominos de Consolatu negocia conuentus promovit, ut eorum mandato eorum impensis pene totus conuentus renouaretur. Notabilemque pro Capituli subsidio elemosinam largirentur. Quod eciam prelati et monasteria vtriusque sexus, Ac communitates viciniores Villanique corde bono et animo volenti liberalissime fecerunt. Reddat illis omnipotens centuplum in presenti et vitam eternam Amen.*

DCLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 831
Folior. 202. 8. currente calamo scriptus ex integro ad Ordinem *Fratrum Minorum* pertinet, unde seriem in eo Contentorum indicare suffecerit. Est vero haec. *Fol.* 1. Formulae quaedam Absolutionis a Peccatis. *Fol.* 3. Breve Chronicon Ordinis cum nominibus Provinciarum, et Ministrorum Generalium usque ad tempus Concilii I. *Lugdun. Fol.* 13. Constitutio *Benedicti* XII. P. R. *Redemptor noster factor celorum* &c. a. 1336.

Fol.